Quelle: https://manuscripta.at/?ID=892
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Nota ex dominium

principatu penitus non caret
Vnde triplex ei dominium datum
fuit ¶ Primum fuit prue-
mencie racionalis qua homo ir-
racionabilibus preferebatur De quo
Gen. i° dominamini piscibus ma-
ris et uolatilibus celi et vni-
uersis animantibus que mouentur
super terram Sed per transgressionem
contrarium factum est ut dicit psalmista
Homo cum in honore esset non
intellexit comparatus est iumentis insi-
pientibus et similis factus est illis
¶ Secundum fuit coherencie con-
iugalis De quo Gen. iij° Sub
viri potestate eris et ipse dominabi-
tur Hoc enim expedit quia ut
dicit Ecc. xxv. Mulier si primatum
habeat contraria est viro suo ¶
Tercium est decencie virtualis
que anime corpori et viciis domina-
tur Vnde Gen. iiij° ad Caym No-
ne si bene egeris recipies sin
autem male statim peccatum in fori-
bus tuis aderit sed sub te erit
appetitus tuus et tu dominaberis
illius Sed Johannes dicit ix° Omnis
qui facit peccatum seruus est peccati
Seneca ad Lucillum Si uis
omnia tibi subicere te subice
racioni multos reges si illa te
rexerit et ab illa disces quem-
admodum et que aggredi debeas
Et Tullius de paradoxis cui enim

libere imperabit qui non potest suis
cupiditatibus imperare ¶ Quartum
dominium est magnificencie pote-
stativis qua homo homini pote-
state aliter super eleuatur de quo Ecc.
viij° Interdum homo homini domina-
tur in malum suum quod tangit dis-
tinccionem subsequentem ¶ Quan-
tum quo ad eandem scilicet de primi
regnantis dolositate et circum-
uencione notandum quod Gen. x°
de Noe genuit tres filios
Sem Cham et Japhet Quorum
Sem Asiam Cham Affricam
Japhet Europam secundum Alkwi-
num sunt sortiti De Cham natus
est Chus de Chus ortus est
Nembroth qui cepit potens
esse in terra et robustus uenator
coram domino ut dicitur Gen. x°
Sed Aug. xvi. de Ciuit. Dei.
i. contra dominum animalium terrigenarum
deceptor oppressor extinctor
Methodius dicit Nembroth
de semine Sem fuisse ¶ Tra-
ctat quod idem quod Noe habuit
filium nomine Yonitum cuius in
Gen. mencio non habetur huic
pater in terra etham donacionem
dedit et inhabitauit eam usque
ad mare orientis quod dicitur Elyo-
thera i. regio solis hic Yo-
nitus astronomiam primus

Nota de Yonito primo astronomo et Nembroth primo rege